6



ORATIO LITERALIS
RHETORICA
IN LAUDEM INCLYTI PRINCIPIS
DIVI ISIDORI,
ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS,

SUPREMI HISPANIARUM PRÆSULIS,
ET EGREGII DOCTORIS,
PROLATA IN COLLEGIO HISPALICO EIDEM
SANCTO PROTHOMYSTI CONSECRATO

A D. JOSEPHO PEREZ
DE REYNA,
IPSIUSMET ATHENÆI SILARICA CHLAMIDE
DECORATO ALUMNO

Die XV. mensis Aprilis, anni Domini
M. DCC. LXXVI.

AD D. D. D. JOSEPHUM
ZEBALLOS,
ALMÆ METROPOLITANÆ, AC PATRIARchalis Ecclesiæ Hispalensis meritissimum Canonicum, atque Regiæ Universitatis ipsius Urbis dignissimum Rectorem, libenti animo dicata.



AD D. D. D. JOSEPHUM ZEBALLOS, Almæ Metropolitanæ, et Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis meritissimum Canonicum, ac Regiæ Universitatis ejusdem Urbis dignissimum Rectorem.

TETRADECASTICHON.

Hoc Opus libatione vt extollatur,
Mecœnatem perquirit Superiorem,
Magnificumque, eximium Protectorem;
Cujus auspicio famam nanciscatur:
Vestræ Dominationis dedicatur
Ad benignum, munificum favorem,
Vestrum Nomen vt ei tribuat splendorem,
Quo perfælicem Sortem assequatur.
Sic, vestra grata ei benevolentia
Acceptionem concedere dignetur,
Præstanti et collucebit excellentiâ,
Concinnitate laudûm induetur,
Eminens fiet honorificentia,
Ac gloriosis lautitiis insignietur.

Vestræ Dominationis Cernui,
et addictissimi Servi

Albertus Hermoso, et Romero. *Joachimus Abalos, et Arroyo.*
Michael Gutierrez, et Prieto. *Josephus Ramos, et Diaz.*

Hispanus Princeps, Augusto Nomine *Magnus*,
Major Doctrinis, et Gestis *Maximus*, extans
Famiger, insignis Vir proclamatus in Orbe,
Hacce die à nostro grato memoratur amore,
Et tribuit supplex ipsi solemne Litamen.

(Illustrissime Ecclesiastice Consessus, Sacer Senatus nobilissime, Capitulumque magnificentissimum, in quo omnigenæ celsioris honorificentiæ exaltationes inspiciuntur, Literariique Thesauri scientificis divitiis valdè referti, ac opulentæ selectarum virtutum vbertates ad omnium Fidelium mirabile exemplum perennitèr observantur.

Palladium perfelix, plausitatuque dignum, quod nitenti decoramine à Sanctissimo Tutelari tibi imposito altiùs extolleris; piâ, sollertique tanti, et munificentissimi Domini protectione perfruens, ingentem quidem à primordiis æstimationem adhucusquè es indeptum.

Cæterorumque Adstantium, splendidum Palestræ ornamen adjicientûm, prudens, ac nimis decorata Concursio.)

Hispanus Princeps, qui conspicuæ famæ, sublimisque nominis celebritate per Universum Cosmum summâ cum demiratione omnium gentium notus est, ac perpetuis vndiquè præconiis exaltatus: Dynastes Inclytus, qui inter præcelsos suæ clarissimæ Ducalis Stirpis Megistanes non solùm perillustri Ditioni Carchedonensi Lautitiam splendidiorem mirum in modum adauxit, verùm etiam toti Hispanico, peramplo, et potenti Dominatui plurimos honores adjecit, et faustitates ipsi comparavit: Insignis Coryphæus sacris Infulis exornatus, qui in Sacrosancta Ecclesiæ Catholicæ Sphærâ, veluti Astrum pellucidum, tantoperè resplenduit: Noster, videlicèt, Sanctissimus Parens ISIDORUS, indesinentis commendabilis recordationis, Archiepiscopus His-

Hispalensis, Supremus Hispaniarum Hyparchus, et Egregius Doctor, præsénti hemerâ meæ cernuæ encomiasticæ Allocutioni verus, et celeberrimus omnium Magnitudinis graduum possessor ostenditur, ac per Epitheta propria designantur, is namquè *Magnus* insignitur, *Major* declamatur, et *Maximus* extollitur.

Multis equidem honorificis fundamentis, titulisque speciosis excelsus Vir, & Princeps celeber, ISIDORUS jure merito *Magnus* nuncupatur, hocque inclarescenti Stemmate insignitur. Is primitùs perenni Nobilitate, ac Celsitudine à suâ Regali Origine contractâ, *Magnus* vtiquè naturâ fuit. Deindè mirabundo illius educatu, adhuc ab ætatis puerilis initio purioris vitæ probitatis, operûm perfectionis, omniumque virtutûm excertitii, et exempli, liberalium atque disciplinarum instructionis, constantia signa, fidamque comprobationem incessantèr patefecit: itaquè præstanti integritate, et Sanctimoniâ *Magnus* etiam constitutus est.

Cùm autem hisce magnificis nitoribus ornatus ISIDORUS ad floridam ephebiam accessum indeptasset, nimis cupidus prægrandium Sapientiæ opûm, sedulus ad cunctas Literarum optimarum pretiosiores Gazas retegendas, periergiam fervidè apparare non desiit; ab ipso priùs assumptâ perfectiori intelligentiâ, ac instructione Idiomatis Græci, et Hæbraici, præter completam Latini versationem, integramque institutionem, quam illuc vsquè funditùs habebat. Hocque pervtilis, et clarissimæ Literaturæ cultu, temporis progressu ità peritiâ plenus ISIDORUS evasit, vt Omniscius à communi hominum vocitatione plauderetur. Sicque ob istam scientificam Celsitudinem ISIDORUS Sapientiâ *Magnus* ellatus est.

His verè mirandis dotibus ISIDORUS excultus, singularibusque excellentiis ditatus, ipsius magnificentiam am-

pliùs

pliùs increvit, hincque decorosâ procerus famigeratione, ac nobilium operûm præeminens æstimatione, promeritis *Magnus* factus est. At quatenùs omnia sublimium probitatûm dignmata nancisci cumulatè, et patefacere curavit, ob idque verenti æmulatione cunctarum gentium collaudatus fuit, præmio *Magnus* est decoratus. Ulteriùs Eximius ISIDORUS ad præeminentium optimitatûm fastigium conscendere assequutus, suprà multigenas sibi magnitudines acquisitas aliam novam honorificentissimam, Sacramque Celsitatem obtinuit, per quam Dignitate *Magnus* exaltatus est: nimirùm, ad præcelsam Hispalis Archiepiscopalem Sedem ascensum fecit, in qua vt Mystarches *Magnus*, tùm suam præ cæteris celeberrimam Patriarchalem Metropolim, tùm etiam totam sàt fortunatam Diœcesanam Toparchiam summoperè magnificavit.

O ISIDORE, tu *Magnus* insigniris,
Tu es *Magnus* ortu, et vitæ puritate;
Tu quoquè *Magnus* es dotibus miris,
Et *Magnus* es virtute, et sanctitate;
Tu *Magnus* es sapientiâ, qua potiris,
Magnus meritis, præmio, et Dignitate;
In Mundo fuisti, vt *Magnus*, exaltatus,
Atque, vt *Magnus*, in Cœlo collocatus.

Vir Doctrinis *Major* in nobilissima, ab omnibusque Europeis Nationibus valdè plausitata Pambasilia Hispanica Princeps ISIDORUS clarè supereminuit, et constantèr agnitus est, cujus fama ampliùs, et ampliùs percrebuit, ac memorabile illius nomen celeberrimum apud omnes extitit. Verè quidem vt Philopatria magnanimus, tùm in Literariæ Scholæ rudimentorum clargitionibus munificus Præceptor, ingenuis Artibus excolendis operam dedit, tùm etiam omnige-

nis

nis proficuis documentis impertiendis salutari instructione dignis ad peroptatam à se ergà Fideles beneficentiæ, et opheliæ spiritualis acquisitionem, vires propitius dicavit: ex hocque pio labore, et efficaci ISIDORI diligentiâ ingens, communisque omnibus in gentibus profectûs supervenit, in vitæ puritate, operûm perfectione, rectâ Christianæ Religionis culturâ, et exercitio, Orthodoxæ Fidei obtemperanti credulitate, atque exactâ Divinarum Decalogi Sanctionum observatione, sedulâque executione, in æterni, ac Omnipotentis Domini obsequium, cum ipsius præceptorum veneratione, et stabili complemento. Similitèr etiam saluberrima cunctis ob prosperam in iis virtutum adeptionem, et exercitationem perfectissimè absolvendam ità documina ISIDORUS frequentèr exposuit, vt non solùm sui fervidi cordis motu, et clamitantis vocis stimulo, verùm etiam proprio ædificante exemplo, ac mirificâ omnium probitatum praxi à Fidelibus continuò inspectâ, plurimorum animos commovisset, ad ipsiusque imitationem in perfectioni integritate faustè allexisset.

Prætereà indesinens Inclyti Parentis ISIDORI sedulitas Disciplinas statuendas; perficiendasque attentissimè incubuit, et mirabundâ ingenii vivacitate, mentis claritudine, summæque peritiæ splendore, ad omnium Scientiarum sanam, puram, tutamque instructionem, permultos Discipulos erudiendos recepit: hi autem tanti Magistri admodùm probo educatu, et scientificâ illustratione, in prima sapientia, nempè, virtute, et sanctimoniâ, magnam excelsitatem obtinuere, atque in secunda literariis frugibus refertâ, plures etiam Alumnorum disciplinæ honore, et faustitate fruentium præstantissimi vndiquè exierunt, quos inter voce laudis nimioperè proclamantur Eximius Ildephonsus meritissimus Archipræsul Toletanus, et præmagnus Braulius dignissimus Cæsaraugustæ Antistes, felicem ISIDORI memoriam, ac famo-

famositatem accrescentes. Ob tanta ab ISIDORO nacta decoramina ex sua præclara optimæ, et multigenæ Disciplinæ progressione, vndè *Major* Doctrinis jure merito nuncupari debet, Egregius Hispaniarum Doctor in perpetuum declamatus est.

In te, ISIDORE inclyte, Excellentiâ
Major adfuit Virtute, Sanctitate,
Eruditione, et optimâ Sapientiâ,
Quam cunctis præstitasti cumulatè:
Plena est Hispania à te honorificentiâ,
Illustris Carchedonia faustitate,
Ecclesia Sancta nobili splendore,
Et Hispal magnitudine celsiore.

Vir Gestis *Maximus* totis Hispanici Orbis Finibus præ sus Princeps ISIDORUS evidentèr fuit notus, ac proinde à cunctis illorum Dominationis Accolis gaudenti vociferatione semper acclamatus est. Heros invictissimus probitatis, et peritiæ specimine admodùm insignis, in maximam Fidei exaltationem, purissimique ejus candoris fulcimen, Christicolæ Religionis firmitatem asservandam, ipsiusque auxesim adipiscendam, Catholici atquè Instituti vera dogmata validissimè firmanda, omnes ingenii, artis, et industriæ vires ferventi corde, strenuoque animo effudit; et hoc meherclè intentissimo labore laurigeros triambos indeptavit. Quasdam paritèr Gentes pravâ à maleficis Sectariis inductâ instructione deceptas, et à viis Orthodoxæ veritatis devias, ac perfidâ obcæcatas impietate, maximè zelosus ISIDORUS, et cupidus Animarum commodi, piâ miseratione motus, curâ vigili, studioque alacri illas ab erroribus revocavit, atquè veris Fidei dogmatibus assentiri penitùs adduxit.

Plu-

Plurima insupèr *Maximus* ISIDORUS facinora egregia, et nimis laudabilia gessit, queis non solùm Hesperam Regionem, verùm etiam omnes cursûs Solis Terminos illustravit. Maximæ erat suæ dexteritati servanda Fides, et Christi verenda Religio: id propter, adversùs protervos, procacesque Infidelitatis Auctores, sivè Ethnicâ, sivè Hæreticâ, aut Maurusiâ pernicie infectos, bellicas irruptiones præstantis animi strenuitate apparavit, innumerasque triumphales Adoreas nactus est. Perfidiosum Arrium, et impium Acephalum, dolososque eorumdem Asseclas belligeris cladibus prorsùs disturbavit. Illud quoquè Monstrum Africanum, barbarum Mahometum, qui Hesperam Tellurem audactèr Maurusia. lue inficere cæpit, virilitèr repulit, ac præproperâ festinatione in fugam conjecit.

Maximus, ò ISIDORE, es declamatus
Gestis præclaris; cum admiratione
Maximâ Orbis Christiani es operatus
Super Fidei Sanctæ exaltatione:
Tu demonstrans magnanimos conatus
In Pravitatum forti impugnatione,
Acerbos Fidei Hostes debellasti,
Et victoriales Palmas reportasti.

DIXI.

NACTO PERMISSU,
Hispali, apud Typificem Majorem, ejusdem Nobilissimæ, Fidelissimæque Civitatis.